



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Tribunal Conscientiæ Per Varias
Examini Industrias seipsam dijudicantis, Tendentibus ad perfectionem,
præsertim Religiosis accommodatum

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066413

Industria IV. Examen Conscientiæ divinis attributis, nec non humanis
imperfectionibus jungendum, atque condiendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45441

vel unicam guttulam, ſanguinis tui, in pignus & arrham, peccatorum meorum omnium, abs te mihi in æternum remiſſorum. Include autem me in imis viſceribus cordis tui, atque ibi me detine, excoque, exure, expurga, accende, ignefac, ſublima, in cordis tui naturam perfectè converte, ad puriſſimi cordis tui guſtum atque placitum, ad puram annihilationem meam. Amen.

Quos delectat uſus coronæ de vulneribus Chriſti Domini confectæ, hos etiam prædicta Examiniſ Praxiſ delectare poteſt, in quem finem in ſingulis Punctis quinque alia Puncta annotata ſunt, ut pro numero globulorum, in corona expendi hæc Puncta poſſint.

INDUSTRIA IV.

Examen Conſcientiæ, Diviniſ attributiſ, nec non humaniſ imperfectionibus jungendum atque condiendum.

AD ſuperioris Induſtriæ normam, poteſt ſimile condimentum Examiniſ Conſcientiæ fieri, deſumptum à Perfectionibus Diviniſ, quæ in illa Præcellentiffima Dei natura elucent, & cum noſtri Examiniſ Punctis ſingulis analogiam quandam habent. Ita Gratiarum actio pro beneficiis poteſt fieri Deo, ut omnium Principio, Principi, fonti, Domino, conſervatori, largitori, digniſſimo.

Luminis Petitiſ poteſt fieri à DEO, ut eſt Prima & æterna, incommutabilis lux, veritas, ſapientia, cujuſ oculi multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, conſiderantes vias hominum, & abſconditas quacunq; partes. Inquiſitiſ ipſa

B 4

& ſcru-

& scrutatio cordis nostri potest fieri ad primam legem atque rationem, ad voluntatem, & imperatricem majestatem, ad voluntatem sive signi, sive placiti, ad rectitudinem, & æquitatem, uno verbo, ad Dei conscientiam, quâ ille consciens est totius conscientia nostræ, atque ad gustum ejus quem ille habet de omnibus motibus nostris, tam hodiernis, quam reliquis omnibus. Detestatio, Retractatio, Dolor peccatorum, potest fieri in detestatione odioque Dei quod Deus habet naturale, in tota natura substantiaque bonitatis suæ, adversus omne peccatum etiam minutissimum. Deinde in Puritate Essentia Divinæ, in qua nihil est, esseque potest coinquinatum. Adhæc in amore & complacentia gustuque quem Deus habet erga omne bonum. Denique in miserationum Divinarum simulque judiciorum ejus abyfso. Propositum emendationis, potest fieri in placabilitate, atque omnitudine Divina, à qua Deus habet semper sufficientem & efficacem semperque abundantem causam condonandi nobis omnia peccata nostra, sine qua, nullæ sunt causæ ob quas DEUS miseras nostras condonare debeat. Deinde in Immutabilitate Dei, qua Deus quidquid ab æterno voluit, vult etiam nunc, ut & nos similiter quod proponimus nunc æternaliter & efficaciter immutabiliterque velimus. Denique in Protectione Dei in qua qui habitat sicut mons Sion in æternum non commovebitur. Dicit Domino susceptor meus es tu, & refugium meum, &c.

Ex his omnibus facile erit praxim efformare cuilibet. Addo autem ad hanc industriam, quod
(etfi

g. Dr. 4
Bicki
opert. 28
Tomus
N. V
58

(etſi ſeparatam Induſtriam facere poterat) hujus tamen uſum facere poterit, ſi illi adjungatur, longè ad ſpiritualem profectum, perutiliorem. Eſt autem hoc, ut cum prædicto examinandi modo, ab attributis Divinis deſumpto, adjungatur etiam alius ab attributis humanis deſumptus v. g. cum gratias ager homo pro beneficiis, aſſumat perſonam clientis, debitoris, mancipii; quod quidquid eſt totaliter non ſuum, ſed Domini eſt. Cùm Lumen petet, aſſumat perſonam cæci à nativitate, vel in media nocte poſiti, cum quo ſapientia non eſt, cui lumen intelligentiæ non illuxit, qui neceſſe habet jugiter clamare; Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt &c. Cùm ſcrutabitur Conſcientiam, & rationem vitæ ſuæ reddet, aſſumat perſonam rei, aut filii prodigi, aut villici iniquitatis & apud Dominum diffamati. Cùm dolebit & detestabitur peccata ſua, aſſumat Perſonam Lazari ulceroſi, Jobi pecuſſi ulcere peſſimo, infirmi, & ſordidati, vincti in carcere, ſuis lotæ in volutabro. Cùm emendationis propoſitum faciet, & robur contra recidivam, atque tentationes poſcet, aſſumat perſonam ovis in medio luporum, aviculæ inter laqueos, infantuli & orphani derelicti. Inermis inter hoſtes, naufragi inter undas, procellas & fulmina; conjiciatque ſeſe, in protectionem Dei, cui adhærens efficiatur unus ſpiritus cum eo.